

Quaestiones Appianae.

Opera ab Iohanne *Schweighausero* in Appiani Historiarum Romanarum reliquiis emendandis posita universa laudabilis admodum est ac probabilis. Quaecumque enim in redintegratione verborum raro corruptionis exemplo deformatum ab uno viro praestari poterant, cumulate ille praestitit: meliores codices quam quibus priores editores uti potuerant, conquisivit ac vel ipse contulit vel per amicos executiendos curavit, in deligenda scriptura cum iudicio fere ac prudentia versatus est, denique haud paucos locos, in quibus ne optimorum quidem librorum manu scriptorum auxilium suppeteret, suoapte ingenio probabiliter correxit aut saltem correctione egere significavit. Ac tamen ne sic quidem ab illo caveri potuit ne remanerent quae sublata velles: praeterquam enim quod codicum qui pondus aliquod habeant, non omnium ei facta est potestas, nec amici commisso conferendi negotio cum fide ac religione ubique functi sunt nec, quod maius est, ipse ad rationem propagationis penitus intellegendam et quae inde pendet, veram codicum existimationem pervenit. Post Schweighauserum autem cum nemo ipsorum Appiani verborum emendationem de consilio novisque instructis subsidiis curaverit ac qui forte ad eum delati sunt, in rerum exploratione fere substiterint — quorum ex numero

¹ Difficillimum illum locum qui est de Appiani fontibus eum in prolegomenis editioni meae praemittendis paullo uberius sim persecuturus, unum dico nequaquam vera mihi videri quae nuperrime Ludovicus Kellerus et dissertatione 'de Iuba Appiani Cassique Dionis auctore' (ed. Marburgi a. 1872) et integro libro 'der zweite punische Krieg und seine Quellen' (ed. ibid. a. 1875) de fabulosa illa Iubae historia ab Appiano usurpata exposuit, vellemque paullo severius haec commenta exagitasset. C. Peterus libellorum illorum in Klettii ann. litt. Ienens. a. 1875 p. 169 sq. nimis lenis censor.

cum honore praeter Wijnium, Iordanum, Vollmerum, alios, dissertationum inauguralium fere scriptores, Henricus Nissenus nominandus est, quamquam ne is quidem quae ad Appianum spectantia in egregiis suis quaestionibus Livianis criticis scripsit integra comprobaverim — haud incommodum visum est ea quae ad ipsorum codicum rationes spectantia ego in re praesenti indagare potuerim, paucis hic consignare. Ad ipsam autem eam quaestionem quae est de singulorum codicum in re critica factitanda pondere atque auctoritate, quo facilius expeditiorque aditus lectoribus aperiat, neve nostra de eis opinio imparatis aegreque disputationis ordinem capientibus obtrudatur, consultum videtur ab ipsis originibus rem repetere, h. e. subsidiorum quae deinceps prioribus Appiani editoribus praesto fuerint, brevem recensum praemittere. Quem qui aliis in rebus amplio, in aliis tenuiore habere cupiat, is Schweighaeuseri et praefationem inde a p. III de his rebus conscriptam et exercitationes Appianaeas opusculis academicis t. II p. 97 sq. insertas adsumito.

Quae igitur tot aliorum scriptorum Graecorum primis renascentium litterarum temporibus fortuna fuit ut, priusquam nativi sui patrique sermonis usus eis daretur vel dari posset, Latina vel potius fere non Latina vestis eis indueretur, ea Appiano quoque subeunda fuit. Interpretem enim nactus est Petrum Candidum Decembrem¹, Nicolao V P. M. Brevium magistrum, hominem in vertendis libris Graecis non tironem quidem, sed semper barbarum. Qui medio S. XV translationem confecit, quae cum in scriptis tum

¹ Ipsam hominis vitam quamvis multi enarrarint velut Tiraboschius 'hist. litt. Ital.' t. VI, 2 (ed. Venet. a. 1795) p. 669 sq., Zeno 'dissert. voss.' t. I (ed. Venet. a. 1752) p. 202 sq., Saxius 'hist. typogr.-litt. Mediol.' p. CCXLII sq. coll. p. 11 ac 'de stud. litter. Mediol.' p. 104 lateantque adhuc Candidiana multa inedita in Ambrosiana, tamen ipsum tempus quo Appiani translationem confecerit difficile est definire, nisi quis omnem illorum temporum historiam dedita opera perscrutari voluerit. Quod cum ego nunc quidem nec possim nec velim, unum dico me credere ex candidi epistula ad Ludov. Petronium equitem Senensem scripta editaque a Mucciolo 'catal. bibl. Cesenat.' t. II (ed. Cesenae a. 1782) p. 101 sequi *totam* translationem a. 1552 absolutam fuisse donatamque Nicolao. Quocum bene conveniunt ea quae Dominicus Georgius in 'vita Nicolai quinti' (ed. Romae a. 1792) p. 190 sq. huc spectantia memoravit, quamquam sic quoque obscurum manet, qui Candidus alteram translationis partem post Nicolai mortem i. e. post annum 1555 Alfonso Siciliarum regi denuo inscribere potuerit.

in impressis exemplis duabus partibus comprehendi solet tenentibus haec:

II	I
Prooemium Appiani	Bellorum Civilium libros V
Punica	Illyrica integra
Syriaca	Celticorum epitomen
[Parthica]	
Mithridatica	

Horridam non solum sed etiam summopere infidelem illam Candidi esse translationem una et consentiens omnium est vox: attamen in honore ab omnibus hucusque est habita inque emendationis Appianae instrumentis numerata, cum ad boni exempli posthac deperditi fidem facta esse crederetur. Qua de re quid nobis videatur cum infra dicturi simus, ad principem editionem Graecam transimus. Ea a Carolo Stephano Henrici patruo Parisiis a. 1551 curata est librosque hos continet:

Prooemium Appiani
Celticorum epitomen
Punica
Illyricorum fragmentum
Syriaca
[Parthica]
Mithridatica
Bellorum Civilium libros V

Huius editionis quae subsidia fuerint, aperuit Schweighaeuserus praef. p. VII demonstrans fluxisse eam quidem ex duobus libris Parisinis etiamnum illic superstitionibus, sed nec scripturam eorum cum fide in editione repraesentari nec ipsam librorum seriem exprimi. Ea enim in codicibus illis Regiis — ita Schweighaeuserus eos appellavit — haec est:

Prooemium
Celticorum epitome
Syriaca
Punica
Illyricorum fragmentum
[Parthica]
Mithridatica
B. C. I. V

Denique ab eodem Schweighaeusero iam intellectum est illorum codicum cum aetate esse parilem — scriptus enim uterque est S. XVI — tum originem communem.

Principem hanc editionem¹ excepit peculiaris librorum *Hispanici* et *Hannibalici* editio, quorum exemplum cum Henricus Stephanus per itineris sui Italici opportunitatem ab Arnolfo Arlenio accepisset, id a. 1557 una cum Ctesiae, Agatharchidis, Memnonis excerptis Genevae typis descripsit. Quod Appianeorum illorum librorum exemplum mendosissimum fuisse et Henr. Stephanus ipse questus est et editio eius testatur.

Stephanorum opera cum in integris Appiani libris se continuerit, paullo post edi coepta sunt, ea quoque Appianeae quae ex prioribus libris novem excerpta in *ἐκλογῶν* Constantinianarum horrea coniecta sunt. Ex quibus titulum de legationibus conscriptum Fulvius Ursinus Antverpiae a. 1582 edidit insistens ille quidem libris Vaticano Gr. 1418 et Neapolitano III B 15, at parum accurate codicum scripturam referens².

Subsecuta est altera Henrici Stephani editio Genevae a. 1592 emissa, cui editor Hispanicum et Hannibalicum libros reecns a se

¹ Latine ea admodum eleganter translata est a Sigismundo Gelenio editaque post ipsius Gelenii mortem a Caelio Secundo Curione Basileae a. 1554, qui suam historiae Hispanicae versionem addidit, quam quo ex codice Graeco desumpserit nec Schweighaeuserus nec ego indagare potuimus, quamquam ex vulgaribus aliquem fuisse putaverim.

² De excerptorum horum et propagatione et rationibus criticis quae exposuit Ernestus Schulzius 'de excerptis Constantinianis quaestionibus criticis' a. 1866 Bonnae vulgatis, pleraque omnia vera sunt meritoque probata cum aliis tum Ludovico Dindorfio, viro prae ceteris in his rebus versato, praef. Polyb. t. II p. V sq. Ambrosianum autem codicem N 135 sup. quod Nissenus Mus. Rhen. t. XXII p. 627 mancā hac a parte disputationem Schulzianam supplens ex eodem cum ceteris exemplo Hispanico fluxisse dixit, verum quidem id esse ego codicibus Constantinianis Italicis et Germanicis excussis omnibus negare non possum: attamen Ambrosianus multo diligentius a Darmario scriptus est et Neapolitano illo et Bavarico 185 a Schweighaeusero primo usurpato copioseque descripto praef. Polyb. t. II p. XIV sq. Alterum autem Monacensem 267, Vaticani Gr. 1418 fratrem gemellum, post Grosium praef. Cass. Dion. t. I p. XLVI sq. descriptum a Nisseno quaest. Liv. crit. p. 314 sq. Polybioque a Dindorfio primo adhibitum quod attinet: probabilis de eo quoque Schulzii est disputatio l. s. d. p. 29 sq. consignata, at parum accurata Appianearum quidem particularum collatio. Denique tamquam rem notam quidem at nondum satis pertractatam moneo quicquid Suidas habet cum titulis Constantinianis commune, id eum non ex scriptorum codicibus, sed ex ipsis titulis mutuatum esse vellemque uberius in hunc locum commentatus esset Bernhardus Suid. p. LII, p. LVI sq., p. LXI nonnulla illuc pertinentia attingens.

editos adiecit, alia subsidia praeter ingenium saepe felix saepe a vero aberrans non adhibuit. Inde cum factum esset ut hac quoque in editione Illyricorum quae Candidus integra in suo exemplo Graeco habuerat, nihil nisi fragmentum a codicibus Regiis servatum dari posset, novem annis post Graeca quoque Illyricorum verba David Hoeschelius in Appiani codice Augustano ¹ integra reperit Augustaeque Vindelicorum peculiari libello in lucem emisit. Post quem de Appiano bene meruit Henr. Valesius rarae et doctrinae et diligentiae vir, qui a. 1634 haud pauca Appianea in titulo Constantiano excerpta de virtutibus ac vitiis complectente servata a. 1634 ex codice Peiresciano protulit ². Quo minor Alex. Tollii qui a. 1670 Amstelodami operis Appianei reliquias repetendas curavit, laus est: is enim praeterquam quod vix Graece sciebat, ne decessores quidem sui quid praestitissent, compertum habebat, quo factum est ut nec Ursiniana nec Hoeschelianum inventa in eius editione insint.

Haec igitur cum fere sint hominum doctorum indoctorumque studia ante Schweighaeuserum in Appianum collata: ille unus plus quam ceteri omnes ei profuit. Ni mirum cum intellegeret ad recensendos eos Appiani libros qui integri superessent — aliam excerptorum esse condicionem facile perspicitur ³ — nec in Regiis

¹ Is codex qui saepius nobis postea laudandus erit, cum primum Augustae diu conservatus fuerit — apud Reiserum 'indicis bibl. August.' (ed. Aug. a. 1675) p. 67 memoratur — nunc Monachii est ac quidem ut Car. Halmius comiter mihi significavit, nr. 374 insignitus.

² In titulo illo, de quo post Valesium Iulius Wollenbergius bene meruit, cum insint praeter ea quae ex deperditis Appiani libris excerpta sunt, etiam superstitum librorum quaedam particulae: eas quatenus Valesius memorasset cum in editione neglexisset, postea alio loco Schweighaeuserus separatim tractavit, quam disputationem Harlessius operis Fabriciani t. V p. 253 iteravit. Ceterum v. Grosius praef. Cass. Dion. t. I p. LVII sq., cuius disputationem ignorasse videntur et Wollenbergius Appiani supplementum quoddam a Grosio p. LXXXIII ex illo codice iam protractum tamquam incognitum inserens diar. Berol. schol. a. 1860 p. 425 et H. Peterus H. R. r. t. I p. 101 de Cassii Heminiae quodam fragmento disserens.

³ Quamquam de excerptis quoque ex Appiano factis bene ille meruit et 'gentium ad Romanos legationibus', Hispanicae Punicaeque historiis codicem Monacensem 185 adhibens et Syriaco libro Plethonis excerpta Vindobonensia et Leidensia, quae etiamsi ex bono Appiani codice ducta non sint temereque Pletho permultorum verborum traditam fidem immutarit, subinde tamen emendationi cum fructu adhiberi possunt. Ceterum excerptorum illorum cum plures a bibliographis memorentur codices velut Monacensis 48 apud Hardtium t. I p. 235 sq.,

illis Caroli nec in Italico Henrici Stephanorum libris posse acquiesci, meliorum codicum opem circumspicere coepit. Nec id frustra. Nactus enim est praeter levidensia quaedam alia subsidia tres potissimum libros antea incognitos, ex quibus largum emendationis fructum cepit. Sunt autem ei hae argumentique huiusce:

Vatic. 141	Laurent. LXX, 26.	Augustanus ¹
S. XI.	S. XV.	S. XV.
Prooem.	Hispan.	Prooem.
Celtic. epit.	Hannib.	Pun.
Hispan.		Syriac.
Hannib.		[Parth.]
Punic.		Mithrid.
		B. C. I. V
		Illyr. integra

Quibus subsidiis ad quae Candidi translatio et Regii codices denuo ab ipso excussi² accedebant, ille sic usus ut Prooemio Vaticanum 141, Augustanum, Regios; Celticorum epitomae Vatic. 141 et Regios; Hispanico et Hannibalico libris Vatic. 141, Laurent., H. Stephani editionem; Punico Vatic. 141, August., Regios; Illyrico August.; Mithridatico August., Vatic. 134, Regios, ceteris denique

Escorialensis apud Millerum catal. p. 113, alii — v. Fabric. B. Gr. t. XII p. 90 sq. ed. Harl. —: inutiles ei sunt omnes utpote ex Marciano 406, Plethoñis autographo, descripti, quode cum post Zanettium copiose disputasset Morellius in suo Marcianae bibliothecae catalogo t. I p. 269 sq., ipse quoque postea cum Venetiis eum excuterem rem ita se habere intellexi.

¹ Praeter Augustanum ipsum cum duo eiusdem recensiois existent codices Vaticanus 134 et Marcianus 387 (v. Zanettius p. 185 et Morellius p. 251): male factum est quod hunc Schweighaeuserum nactus est, illo vel Augustanum longe superante praeter Mithridatica carere debuit. Ego sive Augustanum solum sive Augustani classem nomino, Vaticanum quoque illum a me integrum excussum praeter Augustanum Marcianumque intellego.

² Praeter ipsos Regios cum eiusdem familiae codices sint haud pauci velut Venetus alter (append. cod. class. VII cod. 10), Vaticanus 142, Urbinas 103, Laurentiani LXX 5 et LXX 33, Vratislaviensis, Escorialensis B. C. complectens (v. Millerus p. 116) alii: et Schweighaeuserus libro Vratislaviensi et ego codice Laurentiano LXX 33 collatis nihil inde novi quod in Regiis non esset, sperari posse intelleximus, ut pro tota classi Regios solos usurpare sane liceat. Ac ne ea quidem spes quam de Vaticano 142 ille ceperat, iusta erat: is enim liber totius classis non modo non optimus est, sed in deterrimis numerandus.

libris Augustanum et Regios adhiberet, sic tamen ut illum cum multo praestare intellexeret, ubique si modo fieri posset, his praeferret. Denique Candido qui cum Augustano communem libri Illyrici integritatem habet, ubique tamquam fonte ceteris auctoritate pari usus est.

Haec igitur cum Schweighauseri fuerint subsidia, nova ut supra dixi post eum conquisita non sunt. Itaque qui eum exceperunt editores — sunt autem praeter Teucherum qui nihil praestitit, cum Didotianus tum Bekkerus —, editionibus suis paucula quaedam tituli Constantiniani de sententiis scripti¹ fragmenta Appianea inseruisse satis habebant, relicuam suam operam in iterando exemplo Schweighauseriano fere continebant, quamquam Bekkerus quidem egregiarum aliquot emendationum laude fraudandus non est. Ad nostram igitur de codicum rationibus opinionem transiri iam potest quaerique num forte necessitudo quaedam ac communicio inter quinque eorum classes intercedat. an suam quaeque auctoritatem originemque a ceteris diversam habere cum Schweighausero putanda sit. Fuerunt autem ut hoc repetamus eae classes haec:

I	II	III	IV	V
Vat. 141 (S. XI)	Laur. LXX 26 et H. Steph. liber (S. XV)	August. class. (S. XV)	Candid. (S. XV)	Reg. class. (S.XVet XVI)
Prooem.		Prooem.	Prooem.	Prooem.
Celt. epit.		Pun.	Pun.	Celt. epit.
Hispan.	Hispan.	Syr.	Syr.	Syr.
Hannib.	Hannib.	[Parth.]	[Parth.]	Pun.
Pun.		Mithrid.	Mithrid.	Illyr. fragm.
		B. C. l. V	B. C. l. V	[Parth.]
		Illyr. integra.	Illyr. integra.	Mithrid.
			Celt. epit.	B. C. l. V.

¹ Detexit ea A. Maius in codice Vaticano Gr. 73 scriptorumque veterum novae collectioni t. II p. 367 sq. inseruit, ex qua una cum excerptis Polybianis I. F. Luchtius Altonae a. 1830 repetiit. Vellem autem Th. Heysius cum Polybiana retractaret, Appianea illa quoque — quae tamen non omnia incognita fuisse Appiani editor Parisinus recte adnotavit — attigisset: ego enim cum palimpsestum illum tractarem, particulas Appianaeas medicamentis Maianis interim tantopere affectas ut nihil fere iam legi posset, inveni nec num Espersenus 'de excerptis et fragmentis aliquot Appiani' Havniae a. 1851 disputans Herwerdenusque qui 'spicilegii Vaticani' (ed. Lugd. Bat. a. 1860) p. 227 sq. Appianea quoque excussisse dicitur, me feliciores fuerint libris illis carens

Quodsi ad universum librorum numerum in variis illis codicibus servatorum attendimus: tredecim hodie Appiani libri praeter prooemium integri supersunt vel, si Celticorum epitome non admittitur, duodecim. Ipsum autem opus multo maius fuisse constat. Quamvis enim librorum in quos primitus ab auctore ipso dispestum fuerit nec numerus nec ordo accurate definiri posse iam videatur — plures enim eaeque inter se disconvenientes serioribus temporibus factae sunt divisiones — invaluisse tamen videtur ea ratio quam et Photius aliique grammatici in suis exemplis invenerunt et exprimit fragmentum libri vigesimi quarti a Millero nuper editum¹, qua opus universum in viginti quattuor libros divisum erat quorum ultimus λόγος Ἀράβιος erat. De hac autem re utut iudicabitur, amplius semper operis erat ambitus parumque homuncolorum Byzantinorum legendi transscribendique pigritiae accommodatus, praesertim cum scriptor ipse nec ingenio nec arte excelleret adque rerum ἔθνη ab illo discerptarum cognitionem alii eique commodiores — sic illis quidem visum — aditus paterent. Nihil igitur mirum eos quod in tot aliis scriptoribus — rerum praesertim — fecerunt, ne in Appiano quidem omisisse, h. e. ex nimis voluminoso opere ea selegisse quae sibi utilia scituque digna viderentur, cetera perire passos esse. Ipsum autem illud seligendi negotium duplici ratione institui potuit ut aut ex universo opere singulares quidam loci excerperentur ac secundum similitudinem componerentur, aut integri libri qui prae ceteris graves viderentur, seponerentur. Atque illius studii documenta sunt frustula Appianea in ἐκλογὰς Constantinianas recepta, quamquam earum compositores cur ultra nonum Appiani librum non progressi fuerint latet. Attamen ἐκλογὰς illas hoc loco omnino mittamus necesse est. Quo curiosius altera excerpenti ratio qua integros libros selectos esse diximus consideranda est: *tali enim delectui Prooemium, Celticorum epitome, Hispanicus, Hannibalicus, Punicus libri manifesto debentur.*

Quod ut tam confidenter poni liceat, libri manu scripti ipsi

dicere nunc possem. Ceterum quem Appiani cum Frontone commercium epistulare ab eodem Maio in codice Ambrosiano repertum delectet, comode id editum nunc habet Frontonis Naberiani p. 244 sq.

¹ In 'revue archéol.' a. 1869 t. I p. 101 sq., unde ipsa verba Graeca repetiit C. Muellerus F. H. G. t. V, 1 p. LXV. Ceterum ad cognoscendam ipsam illam de dispositione operis quaestionem admodum utilis etiamnum Schweighaeuseri est disputatio Appiani sui t. III p. 887 sq. consignata, quam integram propemodum postea opusculis academicis t. II p. 15 sq. inseruit.

efficiunt. Exstat enim et in Vaticano 141 et in Regionum classi — in Augustano a recenti manu adiecta est — adnotatio quaedam vel, ut Schweighaeuserus dixit, testimonium, quae in aliam sententiam explicari nullo modo potest. Quam ex Vaticano 141 utpote codicum omnium longe antiquissimo — inserta autem illic eadem manu est post Prooemium praeceditque Celticorum epitomen — adponemus. Habet igitur sic:

τὸ προσόμιον μόνον τῆς Ἰταλικῆς τοῦ Ἀππιανοῦ Ἱστορίας τῆ παρούση ἐνέταξα (cod. ἐνέτοξα, vulgo ἀνέταξα) δέλω, ἐπειδὴ ἐς τὴν τῶν Ἰταλικῶν διήγησιν ἢ τοῦ Ἀλικαρνασέως Διονυσίου Ῥωμαϊκῆ Ἀρχαιολογία πασῶν ἐσὼν ἱστοριῶν ἀξιολογώτερα — — — καὶ ἄλλοι δὲ πολλοὶ τὰ Ῥωμαϊκὰ συνεγράψαντο· ὡν καὶ Δίων ἐστὶ — — δεῖ μέντοι τὴν μὲν ἀρχαιολογίαν τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκ τοῦ Διονυσίου λαμβάνειν, εἴ τις μὴ τὴν ἀκοὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν γλῶτταν ὠφέληθῆναι ἐκ τῶν ἀναγινωσκομένων αἰροῖτο· τὰ δὲ μετὰ τοὺς μονάρχους ἐκ τοῦ Δίωνος, τὰς δὲ κατὰ ἔθνος πράξεις ἐκ τοῦ παρόντος Ἀππιανοῦ. ἀπ' οὗ ἀναλεξάμενος ἔγωγε τῶν μὲν Ἑμφυλίων τὰ τοῦ Ἀγούστου καὶ Ἀντωνίου καὶ ἐξῆς το' τοῖς τὰ Ῥωμαίους πρὸς Αἰγυπτίους ἄγχι Κλεοπάτρας γενόμενα, ἔτι τε τὰ Ἰουδαϊκὰ καὶ τὰ Ποντικὰ καὶ τὰ Λακικὰ οἷς ὁ Τραϊανὸς ἐλαμπύρατο, τὰ τε Ἰβηρικὰ καὶ τὰ Ἀννιβαϊκὰ τὰ τε Καρχηδονικὰ (cod. Καρχηδο-νακὰ) καὶ τὰ Σικελικὰ καὶ πρὸς τούτοις τὰ Μακεδονικὰ καὶ τὰ Ἑλληνικὰ. Καὶ πολλῶν καὶ ἄλλων ὄντων τούτοις ἀρκεσθεῖς ἐν δυσὶν αὐτὰ συνέθηκα τεύχεσιν.

Qua adnotatione cum delectus certorum librorum manifesto indicetur: libros a se selectos auctor quicumque fuit in duo τεύχη se coniecisse praefixisque Prooemium quod solum ex tribus libris Historiam Italicam efficientibus selegerit, prodit. Iam cum ex selectis eis partibus reuera in Vaticano 141 exstant Prooemium, Hispanica, Hannibalica, Punica — de Celticorum epitomes rationibus infra dicetur — ipsumque illud de delectu testimonium omni ratione egeret nisi esset quo pertineret, nihil veri magis simile videatur quam Vaticanum illum totum — nihil enim Appianeum praeterea continet — ex uno illius delectus τεύχει transcriptum esse. Idque ita esse nunc credo. Quamquam enim per multum temporis valde me offendit dubitationemque haud levem iniecit quod in Vaticano illo priora folia octo quae Prooemium, testimonium illud Celticorumque epitomen continent, primitus ad ipsum codicum non pertinebant — ipsa enim saeculo duodecimo scripta sunt, cetera inde a folio nono undecimo et, quod maius est, inde a folio nono demum quaterniones numerantur — tamen postea intellexi

eius rei quae, nisi amoveri posset, omnem de Appianeis operis propagatione quaerendi laborem eversura fuisset, sat probabilem esse explicationem eam, ut folia illa octo priora ex alio *eiusdem* τεύχους exemplo desumpta sint posteaque Vaticano propter argumenti convenientiam agglutinata, cum id exemplum ex quo relicuum Vaticanum argumentum transscriptum sit, mutilum fuerit.

Quodsi probabile est quaecumque Vaticanus 141 Appianeae continet, ex delectu illo desumpta esse — ex ipso autem hoc Vaticano ea quae ceteri codices recentiores cum eo communia habent, transscripta esse mox patebit — restat magnus librorum superstitem numerus qui in delectu illo non fuerunt ideoque ex illo desumi non potuerunt. Necesse igitur est quicquid Augustanus cum Candido Regique praeter Prooemium, Celticorum epitomen Punicaeque tenent, aliam propagationem habuisse. Quae propagatio qualis fuerit si posset explorari, commode ea quoque quaestio quae est de differentia inter Augustanum Regiosque intercedente, iudicari posset: recordandum enim est utramque classem cum ordine librorum inter se differre, tum Illyrica in Regiis esse mutila, integra in Augustano.

Ea igitur quaestio ut sane aliqua ex parte decidi posse videatur altera quaedam anonyma adnotatio sive testimonium quamvis non ut prius illud *delectum* sed integram *collectionem* quandam indicans efficit. Rectorum enim non minus quam Augustani¹ classis post Epitomen de rebus Celticis hoc habent de universo opere testimonium: ἡ τοῦ Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκὴ Ἱστορία, ἐν λόγοις εἴηται περικλειομένη κβ. καὶ ὁ μὲν πρῶτος λόγος περιέχει τῶν ἀπὸ Ῥωμύλου μέχρι Ταρκυνίου βασιλέων τὰς πράξεις· ἐπιγράφεται δὲ Ῥωμαϊκῶν Βασιλικὴ Ἱστορία. ὁ δὲ β' Ῥωμαϊκῶν Ἰταλικὴ ὁ δὲ γ' Ῥωμαϊκῶν Σαννιτικὴ, ὃς καὶ π' ἐτῶν περιέχει πολέμους. ὁ δὲ δ' Ῥωμαϊκῶν Κελτικὴ. ὁ δὲ ε' Ῥωμαϊκῶν Σικελικὴ. ὁ δὲ ζ' Ῥωμαϊκῶν Ἰβηρικὴ. ὁ δὲ ζ' Ῥωμαϊκῶν Ἀννιβαϊκὴ. ὁ δὲ η' Ῥωμαϊκῶν Λιβυκὴ καὶ Καρχηδονικὴ. ὁ θ' Ῥωμαϊκῶν Μακεδονικὴ. ὁ ι' καὶ ια' Ῥωμαϊκῶν Ἐλ-

¹ Verum quidem est testimonium illud neque in Vaticano 134 Marcianoque 387 esse et Augustano a recenti manu adiectum. At Candidum tamen cuius exemplum ad ipsam Augustani classem ordine quidem librorum pertinuisse infra videbimus, in suo libro legisse id debere iam Schweighaeuserus recte dixit: in dedicatione enim ad Nicolaum scripta memorat 'duos et viginti libros quos Appianus exarasse diceretur'. Ceterum etiamsi Candidus mittendus foret, tamen ipsa nostra disputatio eodem duceret.

ληρικὴ καὶ Ἰωνικὴ. ὁ ιβ' Ῥωμαϊκῶν Συριακὴ. ὁ ιγ' Ῥωμαϊκῶν Παρ-
θικὴ. ὁ δὲ ιδ' Ῥωμαϊκῶν Μιθριδάτειος. ὁ δὲ ιε'. Ῥωμαϊκῶν Ἰλ-
λυρικὴ. ὁ δὲ ις' Ἀράβιος. ἐπὶ δὲ τούτοις εἰσὶν οἱ ἐπιγραφόμενοι
Ῥωμαϊκῶν Ἐμφυλίων πέντε. ὁ δὲ ἐφεξῆς κβ' ἐπιγράφεται Ἐκατον-
ταετία. ὁμοῦ λόγοι κβ'. ἐξ ὧν ἐν τῷ παρόντι βιβλίῳ εἰσὶν θ'
μόνοι.

Quo testimonio manifesto indicatur vetus quaedam Appianei operis collectio in viginti duos libros dispesta, ex quibus iterum certus quidam numerus volumen singulare effecerit. Eiusmodi autem voluminum unum cum *novem* libris continuisse tradatur: ante omnia videndum erit et qui novem illi libri fuerint et utra classis, Augustani an Regiorum, eos antiquo ordine servarit.

Vidimus igitur quaecumque utrique classi cum Vaticano 141 communia sint, h. e. Prooemium Celticorumque epitome, ex *delectu* illo fluxisse ideoque ex altera hac *collectione* desumpta esse non posse. Qua ratione cum in utraque classe decem, non novem libri remaneant diversoque ei ordine utrobique dispositi: bona fortunata, ut *Punica* quoque utraque classis cum Vaticano 141 communia habeat. Unde cum efficiendum esset *Punica* neque in novem illo librorum *τέχει* fuisse et ipsa quoque in Augustanum Regiosque ex Vaticano 141 transisse: revera id ita esse planissime duplici argumentandi ratione demonstrari potest simulque comprobari eum ordinem quo novem illi libri in Augustano dispositi sunt, non esse quidem primitivum qualis ex testimonii illius fide in ipsa collectione fuit, sed tamen antiquum olimque in Regiisque quoque fuisse, cum postea librorum in his exstantium series temere mutata eversa sit. Ac prius quidem argumentum desumendum est ex duabus adnotationibus quae et in Augustano et in Vaticano 134 post *Punica* perscripta sunt et ab eadem quidem manu quae ipsos codices exaravit. Ex quibus Augustani Marcianique 387 sic currit: Ἀππιανοῦ συγγραφῆως Ῥωμαϊκῶν Ἱστοριῶν βιβλίον δεύτερον. πῖναξ ἑναρῆς τοῦ παρόντος βιβλίου. Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν Ἱστοριῶν Συριακὴ. ια'. ἧς ἡ ἀρχή: Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου τοῦ Ἀνατόχου Σύρων καὶ Βαβυλωνίων.

Τοῦ αὐτοῦ Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν Παρθικὴ. ιβ'. ἧς ἡ ἀρχὴ κτέ.

Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμαϊκῶν Μιθριδάτειος. ιγ'. ἧς κτέ.

Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμαϊκῶν ιδ'. Ἐμφυλίων πρώτη. ἧς κτέ. Et sic porro per reliquos quattuor Bellorum Civiliū libros. Denique:

Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμαϊκῶν ιθ'. Ἰλλυρικὴ. ἧς κτέ.

Altera autem in Vaticano 134 tabula sic habet:

Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν Λιβυκὴ.


- α. Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν Ἱστοριῶν Συριακή. ἤς ἡ ἀρχὴ κτέ.
 β. Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμ. Παρθική. ἤς κτέ.
 γ. Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμ. Μιθριδάτειος. ἤς κτέ.
 δ. Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμ. Ἐμφυλίων πρώτη. ἤς κτέ. Et sic porro. Denique:
 ε' Τοῦ αὐτοῦ Ῥωμαϊκῶν Ἰλλυρικῆ. ἤς κτέ.

Has igitur tabulas eiusdem originis esse cum appareat cumque codices ipsi gemelli sint: altera pro altera uti licet. Utraque sane denos libros integros quos uterque codex revera tenet, enumerat; sed Vaticani tabula α notam Syriacae demum adponit indeque calculos usque ad nonum librum subducit, Punica in censum omnino non admittit, ut sane *novem* libri efficiantur. Attamen cum vel sic dubitari possit, num *ordo* etiam Augustani non numerus tantum in illo *τεύχει* novem libros olim complexo fuerit: in Reginum quoque classi certa indicia supersunt quae evidenti documento sint eum qui nunc in eis est librorum ordinem recentium temporum arbitrio temeritatique originem debere, cum archetypus eorum liber eandem atque Augustanus seriem olim habuerit. Scilicet cum Laurentiani codices LXX 5 et LXX 33 ambo ad Reginum classem pertineant, in illo Bellorum Civilium libro primo ab eadem manu praescriptum est: Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν ιδ', Ἐμφυλίων α' et sic porro deinceps, in hoc tres tantum B. C. libros posteriores tenente quintus liber inscribitur: Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκῶν ιη', Ἐμφυλίων πέμπτον, eodem plane modo atque in Augustano.¹ Iam igitur cum *ordo* ipse quibus Appiani libri in Cod. LXX 5 dispositi sint, ab Augustano plane recedat, numeri ipsi conveniant — debebat autem ex ipso Reginum ordine primus B. C. liber ιζ' aut ιε' non ιδ' esse —: haec una explicatio esse potest imprudenter veteres numeros ex archetypo retentos esse a librariis qui eos ipsi suorum codicum ordini non amplius convenire non viderint. Hoc autem modo cum pateat et Augustani et Reginum numeros ad eundem fontem redire: ipse is fons iam aliquantulum ab ipsius collectionis ordine deflexerat. Scilicet occupant in testimonio ipso locum duodecimum Syriaca, tertium decimum Parthica,

¹ Nec dubito quin eidem numeri in aliis quoque eiusdem classis codicibus insint, velut pro certo affirmare possum librum B. C. quinto et in Vatic. — Urbin. 103 et in Vatic. 142 numerum ιη praefixum esse. Inutile enim cum esset omnes illius classes codices excutere constituissemque praeter Schweighauseri codices Regios Laurentianum LXX 33 et Vratislaviensem solos conferre, parum ceteros codices post specimen sumptum curavi, quod numerorum illorum causa nunc doleo.

quartum decimum Mithridatica, quintum decimum Illyrica, sextum decimum Arabica, quae Bellorum Civilium libri quinque deinceps exceperunt: contra in Augustani tabula ipsoque codice Syriaca undecimo loco enumerantur, Parthica duodecimo, Mithridatica tertio decimo, deindeque secuntur statim B. C. libri quinque, post quos liber Illyrcus undevigesimum locum tenet. Itaque Augustani ordo quamvis olim in Regiis quoque fuerit, primitivus ne ipse quidem est, attamen et dispositioni sat antiquae tribuendus et eo qui nunc in Regiis est multo vetustior.

Quodsi hac ratiocinatione demonstratum est novem illos libros uno collectionis *τεύξι* olim comprehensos ipsos quamvis aliter dispositos fuisse eos qui in Augustano Punica excipiunt: Punica ipsa in novem illis *collectionis* libris non fuisse sed ex Vaticano 141, h. e. ex *delectu* illo, et in Augustani et in Regiorum classes transisse altera quoque quadam argumentatione probari potest. Scilicet in Vaticano illo Punicorum capita LVI—LX vasta lacuna absorpta sunt eademque lacuna in reliquis codicibus est omnibus nec expleri umquam potuisset nisi particula illa *ἐκλογαῖς* Constantinianis gentium ad Romanos legationes complectentibus inserta esset. Ea autem lacuna in Vaticano 141 librorum omnium ut diximus longe antiquissimo non ut Schweighaeuserus Appiani sui t. III p. 426 opinatus est, primitiva est inque eius archetypo iam exstabat, sed *casu* facta est. Scilicet cum quaternio *ε* habere debuerit foliorum paria quattuor hoc ordine sese excipientia:



medium par foliis 4 et 5 constans casu excidit ut cuiusvis suis oculis codicem examinanti — id quod Schweighaeusero non contigit — continuo apparebit. Hinc igitur cum certissimum sit lacunam illam in ipso demum Vaticano, non in illius archetypo ortam esse: reliquorum codicum ad unum omnium lacunam illam habentium Punica non possunt non esse *ex ipso illo Vaticano transcripta*, vel ut accuratius dicam ex exemplis decursu temporum ex Vaticano derivatis. Quae exempla transcriptique illinc cum Regii tum Augustanus prae Vaticano ipso in Punicis pondus nullum cum sic habere possint: quae propria absque Vaticano recedentia habent, ea nihil sunt nisi aut menda aut interpolationes aut levium archetypi peccatorum correctiones quales cuique librario Graece non plane indocto inter transscribendum suboriri debebant.

Hinc ut ad Augustanum Regiosque redeamus: vidimus novem

illorum librorum dispositionem veterem multo fidelius in illo quam in his servatam esse. Quod ipsum ad iudicandam utriusque classis auctoritatem cum multum valeat: magna Augustani praestantia duabus aliis rebus augetur, cum Illyrici libri integritate, tum bonitate universa. Atque ad Illyricorum quidem in Regiis mutilationem quod attinet, coniuncta ea est cum illorum universa librorum novem veteris dispositionis inversione. Quam recentiorum temporum arbitrio deberi cum viderimus: Illyrici libri condicio quam recenti depravatoque ex exemplo illa classis fluxerit, novo argumento est. Quod contra cum Augustanus temerarias illas mutationes passus non sit: mirandum non videatur si scriptura quoque eius universa magis quam Regii ad antiquam fidem accedat. Atque hoc revera ita esse quaevis Schweighaeuserianae editionis pagina docere potest, cum vix ullus locus sit cui in Regiis depravato Augustanus salutem non attulerit. Atque rem ipsam ita se habere quod Schweighaeuserus intellexit Augustanumque editionis suae fundamentum esse voluit, magna atque imperitura eius laus est, quantumvis ipsae rei rationes eum latuerint. Ceterum omnino careri iam posse Regiis ne quis credat: cum vitia quaedam Augustani in eis non sunt tum lacunae quaedam expletae.

Absoluta iam de *τεύχεα* illo novem libros olim complexo disputatione iudicanda restant praeter Candidum Augustani Regiorumque Prooemium, Regiorum Celtica, Hispanici et Hannibalici librorum codices Stephanianus et Laurentianus LXX 26. Ac Prooemium quidem Celticorumque epitomen quod attinet: illas particulas primitus ad Vaticanum 141 non pertinuisse, sed postea agglutinatas esse vidimus. Unde cum dubium esse possit num in ceteros codices ipsae quoque sicut Punica ex Vaticano 141 fluxerint an ex alio quodam delectus illius exemplo: equidem cum plenum verborum cum ea quae in Vaticano est conformatione consensum considero, has quoque partes in reliquos codices ex ipsius Vaticani apographis fluxisse crediderim. Idemque ut de Hispanicorum Hannibalicorumque illis codicibus¹ pro certo affirmare possim, mea Vaticani collatio facit: ea enim quam Schweighaeuseri in usum Spallettius confecerat, tam negligenter instituta est, ut codicum rationes inde perspicere sane vix possent. Ceterum Laurentianus ille

¹ Ceterum in Vaticana quoque bibliotheca plures codices Hispanica Hannibalicaque tenentes exstant, S. XV scripti omnes, velut Ottobonianus 44 et Palatinus 51 et 61, quorum usum nullum esse vix est quod dicam.

ex ipso Vaticano transcriptus esse videtur idque sat religiose — in nullo enim propemodum loco ab eo recedit —, contra H. Stephani liber foedissimis omnis generis maculis obsitus tertio demum quartove gradu ad Vaticanum ascendit.

Haec igitur omnia cum satis plana sint, non aequè perspicuae Candidi sunt rationes. Habet is omnia cum Augustani classi communia, cum librorum seriem tum Illyricorum integritatem, nisi quod Celticorum epitomen quae in Augustano deest, praeterea sicut Regii servavit. Denique ipse quoque lacunam illam quam in Punicis omnes codices habere vidimus, ortam eam ex fortuita duorum foliorum in Vaticano 141 amissione, in suo exemplo invenit inexplentamque reliquit.¹ Quae cum ita sint, primum Candidus exemplum Graecum habuisse dicendus erit quod argumento quidem serieque librorum ad Augustani classem pertinerit. Iam autem cum ex codicibus Appianeis qui nunc quidem Romae exstant, illi classi unus adscribendus sit Vatic. 134 multo ille duobus alteris melior, diu me cum primus illum integrum conferrem, spes similiter ac Schweighauserum l. s. d. p. XXVIII adn. z tenuit Candidi me detexisse exemplum. At vero vana ea erat opinio: praeter alia enim minus gravia cum lectiones haud paucae a Vaticano recedentes obstant, tum Vaticani lacunae quaedam a Candido expletae. Altera autem ex parte Candidi exemplum e Regiorum classi fuisse non potest: ut enim omnia alia taceam, ipse ordo librorum cum Augustano conspirans Regios excludit, nisi forte Celticorum epitome hinc ab illo sumpta est. Itaque quantum video, duo tantum sumi possunt: habuisse Candidum aut Vaticanum illum 134 praetereaque alios libros ad Regiorum classes pertinentes lacunis illis liberis aut libro usum esse Vaticano 134 simili quidem sed non ipso. Ac prius quidem sumi fortasse posse ut per aliquantum temporis crederem ineditum quoddam de ipsa translatione documentum Mediceum² fecit quod cum mihi benigne ab Aenea comite de Piccolomini professore Pisano subministratum esset, postea ipse quoque inspexi. Quod sic conceptum est:

‘Nicolaus pp. V.

Dilecte filii. Salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus in bybliotheca illa Florentie santi Marci quam et latinis

¹ In editione Parisina a. 1521 qua ego utor, fol. XVI indicatur ‘defectus unius folii quo tumultus populi contineri videbatur’ vacuaque pagina tota est.

² Est Florentiae in Regio Archio Centrali inter ‘pergamene medicee ecclesiastiche’ nr. 36.

libris et grecis tua diligentia illustrem prestitisti volumina duo reperiri ab appiano allexandrino grece scripta quorum unius epigramma est Tertius liber Appiani de rebus romanis. Alterius vero Appianus de historia Italica. Cum autem Appiani eiusdem libros grecis litteris ad nos delatas aliunde susceperimus cupiamusque admodum latine invisere quid ille vir memoratu dignum posteritati liquerit eos traduci iussimus. Sed cum multo plura et verius intelligi et fidelius interpretari ex multorum lectione voluminum quam unius inspectione cognosci possint cum quod in uno deest suppleat aliud Nobilitatem tuam hortandam duximus ut volumina ipsa quam citissime destinare procures. Que subinde visa tibi remittemus loco suo repouenda. Nam cum votis nostris obsequentissimus semper fueris ex tua humanitate certi sumus te quoque in hac re voluntati nostre morem gesturum esse. Dat. Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima decembris Millesimo quadringentesimo quinquagesimo Pontificatus nostri anno quarto.

P. Candidus.

Dilecto filio Cosmo de medicis civi florentino.

Haec igitur epistula ipsius Candidi manu scripta cum gravissima sane esset: qui Appianeus illi duo codices quos Nicolaus commodari sibi a Cosmo voluit, esse potuerint statim quaerere coepi. Ac nunc quidem cum in Laurentiana bibliotheca tres omnino sint, librum LXX 26 Hispanica et Hannibalica complectentem in censum venire non posse manifestum erat, cum ea Candidus ne habeat quidem. Quo facilius 'tertius liber Appiani de rebus romanis' inveniebatur: revera enim cod. LXX 33 ad Regiorum familiam pertinens librosque B. C. tres posteriores tenens a manu antiqua hanc praescriptionem in folio vacuo ante primam paginam habet: 'tertius liber Appiani de Rebus Romanis.' Praeter hoc autem cum Nicolaus alterum volumen inscriptum 'Appianus de historia Italica' postulaverit: unus posset esse codex Laurentianus LXX 5 ad Regiorum familiam ipse quoque pertinens omniaque quae illi tenens, cui reuera titulus 'Appiani historia Italica' praefixus est. At vero nisi omnia fallunt hic liber anno 1450 in Marciano coenobio nondum erat. Etenim in instrumento venditionis librorum quos a. 1492 Iohannes Lascaris Candiae Laurentio de Medicis emit, quinto loco memoratur '5. Apianus p.' Iam autem cum Laurentianus ille LXX 5 et ad Regiorum familiam pertineat et, ut ipse illius instrumenti editor — idem est Piccolomini cui Nicolai papae epistolam acceptam refero — iam dixit (in Comparettii Muellerique 'rivista di filologia' t. II p. 413) is solus ex tribus Laurentianis sit chartaceus: nullo modo fieri potest ut is liber fuerit quem Nicolais designavit. Unde cum efficiendum esset ipsum codicem quicumque fuit aut non remissum esse aut postea periisse — interierunt autem, dissipati flagitioseque subtracti sunt haud pauci codices Medicei¹ —: id certum videri

¹ Periisse unum saltem Appiani codicem Laurentianum certissimum est propter Francisci Philelphi translationem Latinam. Is enim cum Candidianae operae barbariem ferre non posset, novam trans-

possit praeter Romanos libros alios quoque eosque ad Regionum classem pertinentes a Candido translationi sua adhibitos esse. Verum enim vero ut Romam missi sint; tamen bonum hominem illos non ubique cum suo exemplo contulisse satisque habuisse in uno codice acquiescere ut equidem credam, totius translationis tenor atque conformatio me adducit. Quippe ut uno verbo rem complectar: cum in lectionibus a Candido expressis permultae sunt a Regiis Vaticanoque 134 pariter recedentes, tum peculiare propriasque ille lacunas quasdam nec in illis nec in hoc exstantes habet, ex quibus insigne prae ceteris exemplum est B. C. l. III cap. XXII quod totum omisit.

Quodsi Candidus nec ex Vaticano 134 solo nec ex hoc adiunctis aliis libris emendato translationem suam fecisse putari potest: restat ut *uno* codice eoque ordine quidem librorum ad Augustani classem accedente — de Celticis ut supra dixi incerta res est — usus sit. Qui codex cum ne ipse quidem lacuna illa in Punicis caruerit, eandem plane atque Augustanum propagationem habuisse necesse est, h. e. Prooemium eius Punicaque ex Vaticano 141, cetera ex illo collectionis *τεῦξε* novem libros complectente fluxisse. Ad ipsam autem Candidiani exempli bonitatem quod attinet: medium virtutis locum inter Augustanum Regiosque occupat ideoque sperni non debet, quantumvis caute propter ipsius interpretis Graecae linguae ignorantiam emendationi adhibendum sit. —

Ad finem iam haec de codicibus disputatio perducta est nec ultra progrediendum videtur, quamvis fructuosa sit demonstratio exemplis firmata, quantopere illa quam repperimus, instrumenti critici in Hispanico cum maxime, Hannibalico Punicoque libris simplicitas ipsa codicum ex Vaticano 141 derivatorum scriptura singulis in locis confirmetur quamque vel in summa corruptione teme-

lationem moliebatur ideoque impetrandi codicis alicuius Graeci causa primum Paulum secundum P. M. precibus adibat tergiversanteque hoc morasque semper faciente Laurentium de Medicis, a quo primo anno 1470 exemplum quoddam Florentinum transmissum habuit (v. Fr. Philelphi epist. fam. l. XXXVII ed. Venet. a. 1502 fol. 219^r). Iam autem is codex nec LXX 26 nec LXX 33 fuisse potest, sed debet continuisse ea omnia quae in Augustano Regiisque sunt: in epistula enim X Kal. Mart. a. 1470 ad Stephanum Botigellam data se iam duos libros, in altera prid. Kal. Mai. ad Franciscum Arretinum scripta se iam magnam illius codicis partem Latine vertisse scribit (v. l. s. d. et fol. 221^r). Itaque cum LXX 26 nihil nisi B. C. libros tres posteriores, LXX 33 Hispanica Hannibalicaque sola teneant, tertium autem LXX 5 anno 1470 Florentiae omnino nondum fuisse viderimus: Philelphi ille codex Florentinus non potest non periisse. Ceterum Philephianae illius translationis relicuae rationes tam obscurae sunt ut ne id quidem constet num umquam absoluta evulgataque fuerit: quod enim vitae eius enarrator, Angelus Venusinus affirmat egregie ab illo Appianum latine conversum esse, nihil nisi coniecturam esse ex epistulis ductam ea quae Rosminius vitae Philelphi t. I (ed. Mediolani a. 1808) p. VIII sq. de Angelo illo memoravit satis probant, recteque et Zeno 'dissert. voss.' t. I p. 294 sq. et Rosminius ipse t. II p. 205 nunquam illam confectam esse adfirmare videntur.

rariaque deformatione communis originis indicia in libris noviciis ubique manserint. Alii igitur loco quae illuc spectant cum melius reserventur: hic satis erit argumentationum ipsarum supra perscriptarum cum ordinem tum fructum tribus verbis repetere. Intelleximus igitur Appianei operis olim et *delectum* quendam fuisse duobus *τεύξαι* comprehensum et integram librorum XXII *collectionem* plura in *τεύξη* dispestatam, ex quibus unum quoddam novem libros tenuerit. Utrumque ita esse cum duarum adnotationum anonymarum testimonia nos docerent: acrius quaerendo vidimus ex *delectu* illo fluxisse quicquid habeat liber Vaticanus 141 Saec. XI scriptus, h. e. Prooemium, Celtica — quae duae particulae quod primitus in codice ipso non fuerint sed postea adiecta sint ipsi rei non obstare significabamus — Hispanica, Hannibalica, Punica, rursumque ex ipso illo Vaticano derivata esse quae ceteri codices eo communia habeant cum ei qui Hispanica Hannibalicaque sola, tum ei qui alios libros Appianeos praeterea teneant. Horum cum tres essent classes: Augustani, Candidi, Regiorum: Punicis amotis noveni in eis libri qui ex Vaticano 141 derivati esse non possent, remanebant. Quos noveos libros ex *collectionis* illo *τεύξει* novem libros olim complexo fluxisse cum valde probabile esset, ordo autem quo in Augustano Candidoque dispositi sunt, differret a Regiis: in Augustano Candidoque antiquam dispositionem quamvis non omni ex parte servatam at tamen multo fidelius quam in Regiis retentam esse videbamus. Qua ratione cum librorum novenorum in Augustano, Candido, Regiis praeter Punica scriptorum origo declarata esset: Punica ipsa in illis sola inexplicata remanebant; quae tamen si ea quae de Vaticano 141 antea exposueramus, vera essent, ipsa quoque non minus quam Prooemium ac Celtica ex ipso illo Vaticano 141 desumpta esse debebant. Atque vera rem ita se habere ut demonstrari posset, lacuna quaedam omnibus codicibus communis fecit: casu enim eam in Vaticano ortam esse non origine fuisse docebamus. Unde ad rationem inter Augustanum ipsum ac Regios intercedentem reversi magnam illius praestantiam dispositionis fide commonstratam duobus aliis argumentis et Illyrici libri integritate et universa scripturae bonitate, firmabamus. Denique Candidi ea fuit ratio ut *uno* libro Graeco nunc deperdito usus translationem suam confecerit; qui liber cum ordine Augustano esset similis, virtute Regiis fuerit melior, deterior Augustano.

Quae omnia si vere exposita sunt, futuro editori in integris Appiani libris ita versandum erit, ut in Prooemio, Celticorum epitome, Hispanico, Hannibalico, Punico libris Vaticanum 141 curet solum,¹ in ceteris libris primum locum det Augustani classi, secundum Candido, tertium Regiis.

Scribebam Florentiae m. Iulio a. 1875.

Ludovicus Mendelssohn.

¹ Nisi quod quae tituli Constantiniani cum Valesianus tum Ursinianus atque hinc pendens suidas ex superstitionibus quoque Appiani libris excerpta continent, eiusdem ac Vaticanus quippe ex alia recensione ducta auctoritatis sunt.